

Q. N. 149, 51.

(X 2045489)

Z 6
7530

DE
PANNIFICE GOLDBERGENSE

ANNO CHRISTI M. DC. XCII.

LAUBÆ LUSATORUM

(*Exemplo in Germania hætenus inaudito*)
vicibus plus L. in Somnis concionante,

SCHEDIASMA
THEOLOGICO-PHILOSOPHICUM:

VIRO GENEROSO ET PER QUAM STRENUO
DOMINO,

DN. ABRAHAMO à SEILER,

Toparchæ in Prottsch / Weida / Silienthal/
Leuten & Sare / &c.

DUCATUS WRATISLAVIENSIS DEPUTATO
AD CONVENTUS PUBLICOS GRAVISSIMO,

DOMINO ET PATRONO SUO
VERE GRATIOSO,

in memoriam veteris Conversationis
nuncupatum

à

M. GEORGIO WENDIO, Wratisl.
Gymnasii Thorun. Rectore & Prof Publ.

23



UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

130 St. George Street, Toronto, Ontario M5S 1A5

Acquired from the

(Estate of the late)

Mr. J. H. ...

...

THE UNIVERSITY OF TORONTO

...

CHARLES B. ...

...

...

...

...

...

M. GEORGIO WENDT, ...

...

...



I. N. J. C.

PRÆFAMEN.

DE CASPARO HOPPIO, Pannifice Goldbergensi, qui Laubæ opificium suum continuans, A. O. R. 1692. tempestate autumnali singulis ferme diebus circiter horam ut plurimum quartam vespertinam fixativo ligatus somno Conciones sive Homilias S. è lecto recitabat, variæ passim circumferuntur Opiniones, quibus, quantum tribuendum sit fidei, vel Oedipus interdum vix divinaverit. Nemo tamen absolutam sibi de illis à me polliceatur *ἰνείσιον*. Harum aliquæ cum innocentiam hominis non parum affligant, equidem rogatus id solummodo in præsentî agam Schediasmate, ut famam ejusdem ab austeris nonnullorum Censuris liberem; aliis, quæ de insolito isthoc in Germania Casu altius discutienda forsân fuerint, maturiori Superiorum judicio relictis. Fave itaque L. B. &, si intimiora nosti, cum erudito Orbe ea communicare ne dubites.

REFLEXIO PRIMA.

Nisi ὑπνοδημηγός nostri integritas mihi obstaret, augurarer statim in limine, ipsum, more inter Quakers in Anglia * recepto, pulvere quodam ignoto, forte opiato, raptum sibi attraxisse, adeoque dormientem vel quasi prædicasse ea, ad quæ antea vigilans se præparaverat. Affectatio nimirum primitus, non
a / 2
ex

ex improvise superveniente, somno corripitur videri poterat. Attamen quo minus *dolum* aliquem de eodem admittam, pia hominis simplicitas, deinde notabiles quædam Circumstantiæ, inferius passim in Reflexionibus expressæ, præpediunt. Esto itaque tantisper bonus, donec probetur contrarium.

(* *Aliqui Quackerorum in Anglia, cum non raro eruditione abundant, Opifices se fingunt, atque Ecstasi, quam sibi certo pulvere, in haustu vini macerato, conciliaverant, superata, in publico concionantur, omnia immediato Spiritus S. afflatu se accepisse nugantes. Sed Noster (1.) tantum abest, ut Opificem se simulaverit, ut potius per aliquot annorum intervallum tum Lauba, tum alibi, lanificii sui documenta non una exhibuerit. (2.) Vere dormivit, nec unquam, nisi somnians, concionatus est. (3.) Nil bibit unquam, nisi rigore & sermone jam absoluto, idque refocillationis ergo. (4.) Tremorem nemo vidit, nisi cum ingenti strepitu aut crebra corporis agitatione è profundiori somno excitatus fuit. (5.) à DEO arbitratus est habere, quod predicavit; immediatum autem Spiritus S. instinctum vel ignoravit penitus, vel nunquam certe jaclavit: tantum abest, ut ad concionandum se vocatum esse frivole perhiberet.)*

REFLEXIO SECUNDA.

Cum sensus interni per somnum non ligentur, insuper & spiritus animales in dormientibus nequaquam ab omni cessent motu, probabile quidem videtur, *Phantasiæ* etiam in somnis garrienti, porro & *Memoriæ*, rerum concreditarum manipulum etiam somniantibus porrigenti, in tali Casu aliquid largiendum esse; ceterum quam virtute *elastica* officium illæ suum tam regulariter, tamque frequenter, (per cottidianas periodos) executæ sint, de eo non admodum proclive est, hariolari. Præternaturali enim, non naturali, motore pro-

provocatas id fecisse, extra omnem positum est controver-
siam.

(*Memoria, p[er] ceteris facultatibus animalibus, in tali statu non parum deberi, arguit: (1.) quod Præco noster non unum, sed singulis fere Pericopis Dominicalibus respondentem, eundemque à priori identidem distinctum, semel & funebrem, sermonem habuit. (2.) quod non tumultuarie instar Spermologorum blateravit, verum in sua subinde membra dispositos, styloque homiletico, utut vulgari, conferruminatos conceptus protulit. (3.) quod Personalia quædam, quæ vocamus, paucis ante, quam Clinicum ageret, mensibus Lauba in templo D. MARIÆ Virginis à se percepta, (ut Auctor eorundem mihi sincere retulit,) morbifico jam correptus statu ad Verbum repetiit, neque sive in Nominibus propriis, sive in comparatione defunctæ cum rosis, vel minimum quicquam immutavit. (4.) quod aliquando concionans in hæc verba erupit: Ich werde manchem nicht recht geredet haben / daß ich ihme seine Sünde vorgehalten / aber ich muß euch dabon abmahnen / ich bin darumb hier / und vom V. GOTT eingesezet. Ach! wie habe ich öfters erfahren / wie höhnisch mir ist nachgesredet worden! — Aber der gerechte Richter / Christus Iesus / wird die Gottlosen schon finden / die seinen Gesalbten an-
tasten. Undenam enim ista omnia, nisi è memoria, cui olim, sicut ore Pastoris exciderant, tenaciter impressa fuerunt? Pastorem videlicet vel unctum DEI, sicut §. 1. jam monuimus, is nunquam se professus est; nemo quoque injuriam ipsi intulit. Occasio quoque talismodi Sermonum, aliquando in Patria comportandorum, fuit ista: junior adhuc, & priusquam ad Opificium admoveretur, impellente ita pia matre, Ecclesiasticas homilias cum cura semper auscultavit, domumque è templo redux, nunc in casa materna, nunc in campo, quorsum armenta pastum abduxerat, non sine dulcedine, ut ipse fassus est, ruminavit. Unde postea factum, ut t. t. Conciones aliquas diserta promptitudine repeteret, & factus jam adultior*

A. 1692. etiam in somnis non sine adstantium stupore ac admiratione declamaret. En itaque Memoriam! His ita se habentibus aut miraculosa quaedam tot Idearum infusio statuenda omnino, aut ali- quale saltem Memoriae adminiculum admittendum in hoc Casu. Interea tamen suspensum quoque me reddit, quod expergefactus idem ali- quoties inficiatus est, nihil horum sibi constare, quae somnians pre- dicaverat, adeoque repetendis iisdem se minime esse parem. Quod si enim memoriae vegetiori, ut est vigilans, minus pronum hoc, de obnubilata, aut per statum praeternaturalem alienata, quid dicen- dum?)

REFLEXIO TERTIA.

Qui Schwenckfeldistis aliisque fanaticis Oratorem nostrum somnolentum annumerant, justo durius de eodem sen- tiunt.

(Prope Goldbergam in Silesia, ubi natus ille ac educatus, & qui- dem in vico Harperßdorff / lange Neundorff / arme Ruhe / &c. commorantur Schwenckfeldi sequacium non pauci, à quibus ille dif- fert (1.) ratione principii. Illi nimirum ex proeresi & quoties raptum senserunt, declamitant: Noster neque sciens, neque volens loquutus est, immo non sine causa interrogatus à me, numquid pre- meditate diceret, iteratis vicibus regessit, se cum ignarissimis scire, quod aut quidnam ebuccinaverit. (2.) ratione modi. Illi vi- gilantes & vocatis in auxilium plerisque facultatibus animalibus; hic dormiens, similique destitutus adminiculo, concionatus est, sub- latoque tandem, ut fertur, loquaci isto Veterno concionandi ener- giam prorsus deposuit. (3.) ratione Objecti. Illi, ceu inter Eruditos notum, sequestratis non raro S. Litteris, Somnia utpluri- mum, interdum & cum regula credendorum pugnancia, crepant: hic, quantum ipsemet non solum observavi, verum & ab aliis Veri- tatis amicis percipere potui, & Textus Evangelicos (Sedemque

co-

eorum) nunquam non promisit, & ceteroquin in homiliis suis nihil ab Orthodoxa alienum effutivit. (4.) ratione finis. Illi, Experientia teste conantur, dogmati, quale nullum in S. Scriptura fundamentum habet, Visionibus aut Somniis suis auctoritatem, nescio, quam, mercari: hic citra omnem intentionem ac visionem predicans, soli verbo divino inhaesit, de accurrentium Aa. applausu aut contemptu nil quicquam sollicitus. Ex superabundanti denique, & ne quid dubii hac in parte maneret reliquum percontatus fui, quoties idem cum Schwenckfeldistis vicinis familiarius paulo conversatus fuerit? ad quod homo intrepide respondit, sibi nullum unquam cum istis fuisse commercium, immo se nullas unquam habuisse aut expectare Visiones ac Apparitiones. Ubi ergo nunc Hoppius Schwenckfeldizans? Ubi fanaticus? Non sequitur: gregarius homo Conciones recitavit. Ergo transiit ad castra Spermologorum. Contraria nimirum Circumstantia contrarium Statum involvunt.)

REFLEXIO QUARTA.

Injuriam quoque faciunt homini, qui spiritu familiari ductum talia pastoralia protulisse suspicantur.

(Cl. Dn. Tenzelio puella illa Gallica, quae paucis abhinc annis alto itidem sepulta somno res elegantissimas elegantissimo idiomate patrio variis in oris predicasse traditur, alicujus cum spiritu paredro collusionis, idque ob causas domi notas, suspecta est. Vid. Colloqu. Menstrua de A. 1689. p. 283. & 987. ubi è Reformatorum Delphinensium litteris pastoralibus integra recensetur historia. Noster, ceu cuncti norunt, qui hominis genium norunt, (1.) procul ab omni arrogantiae typho nullam, ut illa, ex conciunculis habendis aut habitis aucupatus est gloriolam. (2.) Concionans in vitia & flagitia mortalium, adeoque in ipsum vitii autorem, Satanam, gravissime nonnunquam invehebatur; quod utique facturus non fuisset, si ipsi vel implicitum saltem cum illo intercessisset pactum. (3.) adjuratus
à me

à me, quoniam spiritu actus verba divina faceret, pie reposuit, se arbitrari, quod optimo. (4.) quoties per valetudinem licuit, Congressus ille sacros in templo primus adiit, postremus fere deseruit. Absit igitur, spiritum familiarem in eo praesumere velle, qui memor promissi, per Paternos in Baptismo facti, Satanicas ex animo detestabatur praestigias, Numenque caeleste intemerato, quoad ejus fieri potuit, Cultu venerari pro regula summa habebat.)

REFLEXIO QUINTA.

NUm Morbo alicui, forte Catalepsi, vel etiam Caro, adscribendus sit iste Effectus, experientissimis Medicis discutendum relinquo.

(Caro, quam Catalepsi, praesens affectus videtur esse similior. Hac enim, (uti è magni in re medica Oraculi, D. Melch. Sebizzii, aliorumque Poliatrorum, monumentis liquet,) ager derepente atque ex improvise corripitur; ille homini ad Veternum composito (e. g. Nostro) aliquale saltem Abdormiscendi spatium relinquit. Cataleptici plerumque aperti, ut deprehensi sunt; Caro laborantes clausis (ut Noster) stant vel jacent oculis. Catalepsis gravem inducit stuporem, inque ipsa actione occupatum instar Statuae obrigescere facit; Carus per narcoticum humorem altum quidem somnum, (ut h. l.) nullam vero congelationem infert. (1.) Esto tamen, Catalepticum insigniendum esse Hoppium, in uno certe parem is habuit vix unum & alterum. Quod Galenus olim & cum eo Capi-vaccius (in Animadvers. D. Joh. Broen in H. Regii Prax. Med. lib. 1. Med. VI. p. 54.) observarunt, superfuisse nimirum quandoque in Catalepsi (quanguam rarissime) visum vel auditum, id quoad posterius Pannifici nostro cum perquam paucissimis commune fuit. Facuit ille, postquam à vapore stringente fixatus fuit, instar fulmine tactorum totus attonitus, nihil artuum exteriorum commo-vens: ceterum, ubi fari incepit, Exorditolo, ut solebat, praemisso,
ad

ad explicationem Textus accessit nunquam, nisi tantillo silentio, quantum vel ad hymnum, vel ad Orationem Dominicam, singulis ab eodem actibus commendari solitam, sufficere videretur, strictim à se observato. quid? quod & voces phrasesque, si quae inter pronunciandum aliter ac par erat, exciderant, etiamnum dormiens corrigebat, periodumque difficiliori interdum respiratione luxatam, pro re nata connectebat. Cujusnam verò hoc est, si aurium iudicio pollentis non est? (2.) Quando deinceps pensiculamus, per horulam plus minus voce clara, distincta, fluida, tot homilias recitasse eum, quot Paroxysmi veterinosi persensit injurias, tum obelisco notandum, neminem ipsum in hoc passu habuisse parem. Non desunt utique, qui in H. Regii Praxi Med. l. 1. Medic. VI. Henr. ab Heers Observ. rar. 3. l. 1. D. Theoph. Bonetti Med. Septentr. collatit. l. 1. f. 13. c. 2. itemque D. Bierlingii Thesaur. Theoretico-Pract. Observ. XV. p. 187. Catalepsi vel Caro jam dudum laborasse prohibentur, sed elingves illi fuerunt universi singuli, non loquaces, immo animam agentibus simillimi. Unde celeberrimus Sebizius in Speculo Med. Pract. Part. 2. f. 2. c. 21. p. 317 de Caro ita: non sentit ager, nisi compunctus; & licet sentiat, non tamen loquitur. Judicent itaque Cl. Sanitatis Architecti, & quorsum tandem referendus sit praedicans in somno Hoppius, pro sua per longinquam Experientiam sibi comparata notitia determinent. Equidem nolim falcem in alienam messem immittere.)

REFLEXIO SEXTA.

AN dixerimus, idem plane judicandum esse de nostro, quod Mottæus Vayerus (Tom. 2. Oper. Gall. ep. 61. p. 657.) de Gallo quodam, *le Fevre*, in Lingvis per somnum loquendis felicissimo, recensuit, videlicet *monstruosum* hoc esse penitus ac altioris indaginis?

(Ita est: quemadmodum *le Fevre*, ita Hoppius, vigilans dormire videbatur. nam obtusi aliquid & stupidi praese ferebat, cum
b
dor-

dormiens multo alacrior ac vigilantior (in Sermone) videretur. Cum evigilaret, nihil de actis suis reminisci poterat, nisi quod ex intenso capitis dolore ipse judicaret, multis se delassatum esse Sermonibus. At vero Gallus iste (1.) vino adusto aut Hippocratico plenus; noster sine tali vehiculo obdormiscens, differebat. (2.) Ille non, nisi interrogatus, responsa dabat; noster etiam nemine invitante vel auscultante concatenatum Sermonem absolvebat. (3.) Ille Candanensi, Tupinambarum, Anglico, alio, Sermone se alloquentibus eodem idiomate animi exposuit sensa; noster talium Linguarum, quæ in quibusdam affectibus non vanè suspectæ sunt, ignarus, ipsam credendorum ac agendorum scaturiginem aggressus est. (4.) Utut denique Vageri rationes (quas propter Autoris defectum convasare in præsens non licuit,) in Scenam produceremus, periculum tamen esset, ut B. L. satis facerent. Quanquam enim ille in causis hujus rei indagandis omnem navavit operam, Morbosio tamen judice, (libr. 2. Polyhistor. c. 9. p. 423.) nondum omnes visus est solvisse nodos.)

REFLEXIO SEPTIMA.

PRO Ecstasi divina, quanquam imperfecta, facere videtur, (1.) quod homini, etiam vigili, nedum per stuporem quasi congelato, per naturam ferme impossibile videatur, simul Textus, simul Homilias plus L. totidem dierum interstitio, idque sine notabili aliqua hæsitatione aut cerebri defatigatione, declamare. (2.) quod, quia Catalepsis & Carus reminiscenciam quoque, ut alia sensuum interiorum Officia, (juxta Bonetum l. c. c. 2. p. 103.) impediunt, ad superius aliquod in dicendo movens, sensuumque prædictorum aliqualem usum indulgens, principium recurrendum sit. (3.) quod jam dudum animæ quædam devotæ, simili propemodum Ecstasi correptæ, pias meditationes elocutæ sint. †. E contrario, ne Ecstasin vel *ἀναγωγήν* aliquam in homine nostro admittamus, ob-

obstat, (1.) quod donum prophetiæ (*in rebus fidei*) jam pri-
dem exspiraverit , hodieque nemo immediatum Spiritus S.
afflatum polliceri sibi habeat. (2.) quod exempla coacerva-
torum à D. Jacobo Fabritio Prophetarum (*in Probatione eorum-*
dem,) huc non faciant. Ab iis namque , qui Apostolorum
ævo visiones divinas (*in rebus fidei*) habuerunt , ad hodiernos
Visionistas N. V. C. Eorum dein , qui è mediolorum Seculo-
rum historia congesti prostant , fidei suspectæ sunt aliqui :
qua ergo fide hic allegantur ? quodsi vero *de futuro Ecclesie*
aut Reipubl. statu utcunque , certe sine inspiratione ac vocatione
immediata , vaticinati sunt alii , quid hoc ad Pannificem no-
strum , *Divinationum* aut *predictionum* vanitate nihil quicquam
delectatum aut fascinatam ? (*Vid. Consil. Theolog. Witteb. P. 1.*
p. 813.) ^(3.) quod in Præconis nostri Concionibus nihil extraordi-
narium , nihil *in fide novum* aut *paradoxum* , animadvertere li-
cuit.

(*De religioso quodam Monacho Cænobii Paris. refert D. Joach.*
Hildebrandus , (c. 7. de Veterum Arte bene moriendi §. 14. p. 109.)
eum oculis in morte natantibus a ira coram districto DEI judicio in
Ecstasi positum probitate sua absolvi non potuisse , quin altum cla-
marit : O me miserum ! si sic agitur , melius erat , non nasci ! nec
diu post : libram fideliter tracta. & porro : appone aliquid de
D. N. J. C. tormentis & cruciatibus. tandem respirans : nunc bene
habet ! Adstantes juvenem somniantem miratos , ad se reversum
quesivisse : numquid vidisset ? cur ita clamasset ? respondisse
agrum , se totius Vitarationes de quovis , etiam otioso , verbo & oc-
culta cogitatione reddere jussum , merita Operum produxisse , eaque
aqua lance in libra cum peccatis suis exposita , multo leviora reperisse ,
quam quibus in rigoroso illo judicio consisteret : itaque ad Christi me-
ritum confugisse , & libripendem rogasse , ut , quod propriis meritis
deesset , adjecto Christi patientis merito suppleret , quo factò libram
in suas declinasse partes , & se causam obtinuisse.)

76 7530 OK

REFLEXIO ULTIMA.

Quid ergo tandem? an asseverabo, hominem nostrum, per naturam ad concionandum dispositum, juniorem adhuc crebra Sermonum repetitione tamdiu Linguam Memoriamque exercuisse, donec praternaturali aliquo affectu, (incertum, quonam?) tanquam virtute elastica, provocata ea ac quasi concentrata, sub directione DEI extraordinaria, etiam dormiens Concionum S. insolitam promeret farraginem? Sane! quod supra laudatus Sebizius l. c. p. 379. tali in Casu statuit, idem & ego statuam. Ille non diffitetur, penitus latere modum causandi in Catalepsi, quin & excedere captum humani ingenii, & procul omni dubio Θεῖον τι in eadem subesse. Quanto potius ego ingeminavero, ἀπρητα esse hæc Acta nostra? Quodsi propterea Conjecturæ istæ nihil stringunt, (pro stringentibus enim eas non vendito,) satis fortasse in præsens fuerit, è Circumstantiis, cuius Reflexioni suppositis, & , quod maximum est, ex Eventu, qui omni macula caruit, adstruxisse, nullius fraudis, nullius Schwenckfeldici Enthufiasmi, aut nefariae cum spiritu familiari collusionis, reum esse hominem. Dum enim pleniora & planiora non constiterint, præstat utique, interea, quis vel qualis ille non fuerit, evicisse, quam eundem prorsus indefensum reliquisse.

Doctiores doctiora divinent.

S. D. G.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
Athenæi Typographi 1699.

Q. N. 149, 51.

18

DE
PANNIFICE GOL

ANNO CHRISTI M.

LAUBÆ LUSAT

(*Exemplo in Germania ha
vicibus plus L. in Somnis*)

SCHEDIASM
THEOLOGICO-PHILO

VIRO GENEROSO ET PER.
DOMINO

DN. ABRAHAMO

Toparchæ in Protsch / W
Leuten & Sar

DUCATUS WRATISLAVIE
AD CONVENTUS PUBLICOS

DOMINO ET PAT
VERE GRATI

in memoriam veteris C
nuncupatum

à
M. GEORGIO WEN

Gymnasii Thorun. Reçtor

23



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

